UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Copula cum dormiente an sit raptus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-78172

Visual Library

donec rapta est in potestate raptoris, inualidum sit matrimonium, vt etiam (ex Molina, Sanch. & aliis suis citat, sequitúsque Bon. *de matr. quæst.4.p.18.n.10.*) sponsalia, si forte, etiam consentiente rapta, Matrimonium, vel sponsalia celebrantur.

10. Iuvat autem hic afferre verba Trident. sess. 24. c. 6. *de reform. matr. Decernit Sancta Synodus inter Raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum consistere Matrimonium. Quod si rapta à raptore segregata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem prabentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, proinde que dignitatum incapaces; Et, si Clerici sint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam in uxorem duxerit, decem uel minus, arbitrio Iudicis dotare.*

11. Hactenus Concilium. Vbi noto: Primò, hoc Decretum non habere locum in quocunque raptu, sed tantùm in raptu libidinis. Quare si quis rapiat mulierem causâ matrimonij, & non ad contrahendum cum illa matrimonium incurrit prædictas Concilij pœnas. Ita Less. *loco citato num.*70. Sanch. *lib.7.matrim. disp.*13. *nu.*4. Ratio est, quia Concilium hic nil intendit præterea, nisi libertati matrimonij providere. Scio Bonac. *de matrim. q.4.parte* 18. *num.*2. putare decretum habere locum, etiamsi sit ad solum finem libidinis; quod certè non est improbabile.

Rattus non habet locum in eo raptu, cui mulier consensit, licèt invitis parentibus. Ratio est eadem, quia scilicet matrimonij libertas quò Concilium continet in hoc decreto, non dependet à Parentibus, sed solum à muliere.

12. Noto secundò, ad pœnas incurrendas non esse necesse vt sequatur copula cum rapta. Ita Lessius *loco sæpè num.*60. Sanch. *loc.c. num.* 9. malitia enim raptus saltem pro pœnis, satis completur per abductionem cum prædicto fine.

13. Noto tertiò, Præter excommunicationem latæ sententiæ, quæ non est reservata, ex Sanch. *ibidem num.*1. & præter impedimentum dirimens matrimonium, inter & sponsalia, ex Sanch. *ibidem, numer.*17. quod non est pœna, sed dispositio legis, cæteras pœnas hujus decreti non incurri, nisi post sententiam Iudicis, vt ex dictis constat.

14. Noto quartò, licet abductio sponsæ, ipsa notante sit quoad culpam, raptus; quia etiam sponsa debet libere matrimonio de præsenti consentire: tamen quoad pœnas probabile esse, ejusmodi raptum non includi in hoc decreto. Ita Less. *loc.c.n.*70. Henr. *lib.*10. *c.*12. *num.* 5. quia non est abductio strictè injuriosa eam sibi recipere, quæ sibi legitimè promissa est.

15. Ex his plani fient hi duo casus: Ignorantibus Parentibus, quædam mulier consentiens abducta est. Iustus ignorante Cæsare adolescente abducta est ab eius amico quædam invita puella, ut eidem Cæsari illa puella in matrimonium traderetur, commissum ne est in utroque hoc casu peccatum raptus, prædictis Concilij pœnis obnoxium.

Respondeo ad primum esse commissum raptum quoad culpam, vt dictum est *num.*2. Quoad pœnas Concilij non esse, ex Sanch. *ibid. num.*9. quia, consentiente ipsa, salvatur libertas matrimonij.

16. Ad secundum, si neque per se, neque per alium Cæsar puellam rapuit, ipse raptor non est, atque adeò pœnas non incurrit, ex Sanchez *lib.7.disp.*13. *num.* 2. Amicus etiam, nec incurrit, quia non est raptor pro suo matrimonio, de quo loquitur Tridentini Decretum, quod cùm sit odiosum, non est extendendum vltra verba. Vnde vides in hoc casu tum amicum hunc, tum adolescentem illum, pro quo rapta est mulier, validè posse matrimonium inire cum eadem muliere, etiam non separata. Quando verò per alium quis scienter rapit, verus raptor est, incurritque omnes Decreti pœnas: ille tamen, qui ex raptoris iussu exequitur actionem rapiendi, tanquam fautor incurrit Excommunicationem, & cæteras pœnas, cùm interim validè possit inire matrimonium cum eadem muliere, quia invaliditas matrimonij solùm infertur contra rapientem pro se, non contra rapientem pro altero, vt dictum est.

Copula cum dormiente, an sit raptus?

17. Denique decernenda ea est quæstio. An copula cum fœmina dormiente, vel sensibus destituta, sit propriè raptus? Respondeo. Si cum fœmina, quæ ante somnum consensit, non esse raptum certum est. Ita Pelliz. *meth. Reg. to.1. tract.4.c.3. sect.4. num.*70. quia non est cum injuria, nec cum violentia contra Parentes. At; si cum fœmina, quæ non consensit, aio primo, præter fornicationis, vel alterius speciei malitiam, adesse peccatum contra justitiam. Aio secundò, non esse propriè raptum, & consequenter raptus pœnis subjectum. Inclinat, sed non vult decernere Diana *p.4.tract.8.resol.*2. Ratio prioris dicti est, quia tametsi ea copula non sit cum vi, certè est cum fraude, atque adeò cum malitia contra Iustitiam, vt §.1. *num.*2. innui; vnde speciatim in confessione aperienda, vt modò *num.*7. dictum est. Ratio posterioris dicti est, quia, vt alia taceam, ad raptum propriè dictum, requiritur abductio de loco ad locum, vt *ibidem* notavimus.

CAPVT VII.

De Peccato contra naturam.

1. IN *Methodo Conf. lib.2.cap.*7. §.10. sic habes: Quatuor sunt species, & quidem distinctè aperiendæ, quia habent turpitudinem, si non physicè diversam, quia omnes prodigunt semen sine spe generationis; certè ex recta hominum æstimatione, diversam moraliter. Mollities, Sodomia perfecta, Sodomia imperfecta, Bestialitas, ad quam reducitur Congressus cum dæmone. Sic Fill. *tract.* 30. *cap.*8. *num.* 142. De singulis aliquid breviter delibabimus.

§. I. *Mollities.*

1. EST pollutio voluntaria sine conjunctione corporum, seu, vt definit S. Thom. 2.2. *quæst.*52. *art.*11. *ibid.* Caiet. est peccatum contra naturam, per quod voluntaria pollutio procuratur extra concubitum, causâ explendæ delectationis venereæ.

Si quis tamen, dum se polluit, consentiat vel cogitet morosè in aliquam aliam speciem, v.g. adulterium, incestum, &c. contrahit eandem malitiam, quam cogitat, adeoque confitendam. Ita Fill. *tr.*30. *c.*8. *n.*154.

2. Inanimatum instrumentũ, quo quis se polluat, non facit mutationem speciei, vt *in Meth. l.* 2. *c.*1. §. 10. de mediis, quæ assumuntur ad peccandum, universaliter diximus. Dixi (inanimatum:) nam si animato, vt si manibus alterius, &c. fiat, jam nunc subdo.

3. Si quis se pollueret inter brachia, coxendices, os, &c. fœminæ, vel viri, cum id regulariter procedat exaffectu personæ, seu cõcubitus cum illa, est sine dubio specialiter explicandum: quia non est mera pollutio, sed copula inchoata. Non tamen credo necessariò esse explicãdas peculiares partes corporis (nisi sit affectus aliquis particularis, v.g. ad partes præposteras ob sodomiam, vnde & explicandum) materialiter enim se habent; & illa major delectatio, quæ in vna ex partibus quæritur, non trãscendit speciem malitiæ, quæ est in alia. Ita Fill. *ibid. num.*155. vide *sup.c.*3. §. 5. *num.*3,5.

4. Petes. Quando quis habet inchoatam prædictam copulam, necessène habet exprimere in Confessione, se seminasse extra, vel intra vas? Respondeo: ita, quia extra